

inquis, ἐν λόγῳ ἔπταιειν ipsi Apostolo res viribus humanis superior audit v. 8. ubi, *linguam*, ait, *nullus hominum domare potest*, *malum* quippe *coerceri nescium*; consequenter etiam prædicatum *τελειος* perfectionem notat in hac vita *impossibilem*; & etiam verba comm. 8. non adeo crude sumenda, & ultra quam fas est pre-menda esse, si accipiantur de eo, quid potestatis homini relictum sit in *linguam suam propriam*, potissimum vero de potestate hominis in *aliorum linguam* intelligi debere, infra ad h. l. ostendetur.

§. V.

Δυνατος χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα)
 1.) *rationem* hæc continent asserti: *quod is, qui in sermone non labitur, sit vir perfectus*, quia scil. talis potens est, etiam totum corpus freno quasi regere.
 2.) *δυνατος* cum emphasi dicitur pro *δυναμενος*, ut 2 Tim. I, 12. notat enim *facultatem cum habitu*.
 3.) *χαλιναγωγῆσαι* significat *freno ducere*, seu moderari, quæ metaphora latius declaratur mox v. 3. *ἀχαλινον σῶμα*, *os effrene*, phrasis est Græcis frequens, vid. GROTIUS ad h. l. & quæ ex Platone, Aristophane

D

phane

phane & Euripide adfert. Occurrit eadem metaphora Pl. XXXIX, 2. *custodiam os meum capistro seu freno*, quem ad locum Cel. MICHAELIS in *den Anmerk. zur Uebersetz. der Psalmen* p. 76. Jacobum respicere censet; Ceterum DAN. HEINSIUS observat, verbum hoc de reliquis partibus humani corporis *improprie* saltem heic adhiberi, *proprie* vero de lingua C. I, 26. præeunte GREG. NYSSENO, cui χαλινος est illa linguæ pellicula tenuissima, quæ maxillam inferiorem eidem jungit; sed vereor, ut, Jacobum ad hanc vocis χαλινος significationem respexisse, probari possit. 4.) και h. l. significat *etiam*, non modo linguam, quod ostendit, dum in sermone non impingit, sed *etiam* totum corpus; Cum scil. inter omnia corporis membra nullum moderatu tam sit difficile, quam lingua, is, qui hanc in potestate sua habet, multo magis etiam reliqua membra regere posse censendus est. 5.) ὅλον το σωμα A.) GROTIUS intelligit *de toto corpore Ecclesiæ*, quæ σωμα dicatur I Cor. XII, 20, 25, 27. Eph. IV, 12, 16. Col. I, 18. addit etiam: sicut universæ Ecclesiæ hoc nomen competat, ita & Ecclesiis singulis suo modo, nam & omne collegium
in

in Jure corpus dici. Haud negamus, hanc explicatio-
nem scopo Apostoli apte congruere; Immaturis mu-
neris ecclesiastici candidatis h. m. opponeret viros
perfectos, qui, ut linguam suam, ita & totum cor-
pus Ecclesiæ moderari ac regere sciunt, qua sane re
Doctōris officium absolvitur; Verum recte BENSO-
NIVS, adprobante etiam *Doctiss. Annotatore*, sequen-
tia obvertit GROTIUS: 1.) vox ἰσῶμα nunquam in
N. T. Ecclesiam Christi significat, nisi alio addito voca-
bulo, quod lectorem de corpore non physico, sed
moralis & mystico cogitare jubet. 2.) Verbo
καλιναγωγειν scriptores N. T. de regenda Christi Ec-
clesia nunquam utuntur, nec, quod MICHAELIS
addit, commode uti potuissent, cum Ecclesiæ non
sit, ut equi, frenis, sed rationibus & consilio regi
vid. Pl. XXXII. 9. Esai. XXX, 28. XXXVII, 29. Du-
ra proin nec Ecclesiæ honorifica foret locutio: *Ecclē-
siam freno circumducere.* 3.) Lingua membrum voca-
tur v. 5. cui v. 6. reliqua membra opponuntur, quæ,
si orationi filum & concinnitas constare debeat, idem
denotent necesse est, quod hic ὅλον σῶμα. 4.) Si-
militudines, quæ sequuntur, minus Grotio favent,

illa inprimis, quæ habetur v. 6. ubi lingua in reliquis membris constituta igni materiam inflammanti comparatur, neque ὅλον τὸ σῶμα, ibidem commemoratum, aliud notare potest, quam *corpus humanum*, æque ac v. 3. *corpus equi*. Maneat igitur B) σῶμα h. l. *corpus proprie sic dictum*, cujus pars seu membrum est lingua, ut sensus sit: Qui linguam suam regere novit, potens est, regere etiam reliqua membra & totum corpus, & omnes suas actiones; conf. Matth. VI, 23. ubi pariter *membrum* corporis, *oculus*, & *totum corpus* sibi opponuntur, per *totum corpus* vero totum systema actionum externarum intelligitur.

§. VI.

v. 3. 4.

Ἰδοὺ τῶν ἵππων τὰς χαλινούς εἰς τὰ σώματα βάλλομεν, πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν, καὶ ἔλον τὸ σῶμα αὐτῶν μετάγομεν. Ἰδοὺ, καὶ τὰ πλοῖα, τηλικαῦτα ὄντα, καὶ ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα, μεταγεται ὑπὸ ἐλαχίστου πηδαλίου, ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τῆ ἐυθύοντος βούληται.